

www.e-rara.ch

**Tractatus Huc atque seorsim nondum editus, De Morbis Infantum
Præcipuis**

Hoffmann, Friedrich

Basileæ, 1741

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-139389>

Caput X

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT X.

De Vermibus.

§. I.

Vermes sunt animalcula viva variæ *Vermium*
 figuræ, structuræ & magnitudi- *definitio.*
 nis, quæ ex seminio seu ovulo
 insecti cujusdam cum alimentis ad-
 sumti in cavo intestinorum nascuntur,
 & putrido quodam corrupto succo in-
 crescunt, corporisque universi fun-
 ctiones mirum in modum labefa-
 ctant & lædunt.

§. II.

Quamvis nulla hominum ætas ab -- *subjecta*
 exitialibus hisce hospitibus plane sit
 libera, maxime omnium tamen infan-
 tilis & puerilis, hoc est, ab ablac-
 tatione ad decimum quartum annum,
 iisdem obnoxia est; quapropter etiam
 inter morbos infantiles de lumbricis
 tractatio præcipue meretur institui.

§. III.

Variæ lumbricorum species, ipsa -- *tres spe-*
 experientia teste, in corpore humano *cies 1) va-*
 observantur, quæ potissimum à me- *tundi*
 dicis tam veteribus, quam recentiori-
 bus in numero tres discescunt. Pri-
 mo se offerunt rotundi, qui etiam te-

retes, Germanice *Spulwürmer* vocantur, & magnitudine, quæ vix spithamam æquat, ab aliis se distinguunt, maximeque sedem suam in tenuibus superioribus jejuni & ilei occupant; unde interdum ad ventriculum progressi oretenus prodeunt, vel vomitu ejiciuntur. Atque hi fere sunt, qui teste HILDANO *cap. I. observ. 57.* pueris maxime innascuntur, & magno nonnunquam numero in globum quasi conglomerati ileo firmiter inhærent, cujus membranas persæpe ore suo acuto perrodunt, atque rependo in abdominis cavitatem penetrant.

§. I V.

a) *lati*

Altera vermium species est eorum, qui ob figuram suam instar fasciarum latam, lati & tæniæ appellantur, admodumque longi sunt, ut duos, imo decem interdum pedes mensura excedant, & à PLATERO in adultioribus quadraginta pedes longi observati sint: *vid. M. N. C. anno III. observ. 29.* BARTHOLINUS *Histor. anatom. Cent. III. observ. 14.* Hi plerumque totum intestinorum tractum, præcipue vero ileon, occupant, & raro sine cauda & capite conspiciuntur; siquidem non toti, sed frustulatim per ramenta,

menta, cucurbitæ vel cucumerum semen referencia, prodire solent, quæ interpretante SPIGELIO cap. XV. nihil aliud sunt, quam nodus lumbricorum medius crassus, à lateralibus & membranaceis suis appendicibus, putredine jam absumptis superstes.

§. V.

Tertiam lumbricorum speciem constitutunt ascarides, seu vermes parvi, ^{des} 3) *Ascarides*, exigui, graciles, Germanice *Maden*, qui intestinis crassis maximeque recto innidulantes, hoc plerumque graviter cum tenesmo & molesto ad defecandum stimulo rodunt, vellicant & incredibili sæpe copia cum excrementis exeunt.

§. VI.

Vermium in intestinis præsentia cognoscitur, si pueri in somno pavent & excitati ab eo trepidant, si narium adsunt pruritus, oris foetor, sitis, salivæ fluxus, facies intercurrentibus phlogosis pallida, extremorum frigus, urina turbida, ventris inflatio, appetitus modo nimius modo dejectus, irregularis alvi apertura & similia. Verum enim vero, cum signa hæc nus recensita aliis etiam morbis sint communia: nullum sane melius nul-

lumque certius datur criterium, ac si vermes ipsi per alvum prodeuntes sui præsentiam indicant.

§. VII.

--Symptomata.

Symptomata verminosis familiaria pro ratione partium, ubi sedem peregrini hospites obtinent, admodum plerumque variant; sæpe tamen gravissima sunt: siquidem nonnunquam tam horrendæ artuum convulsiones excitantur, ut incantamenti suspicio non raro plebejis incutiat. Potissimum vero, si in ventriculo resident, nauseam, cardialgiam, syncopen, corporis jectigationes, dentium stridorem, deliria, imo mortem denique ipsam inferunt: in intestinis tenuibus, tormina, morsus circa umbilicum, famem caninam, ventris intumescantiam, & alvi fluxus concitant; in intestino autem recto molestas titillationes, rosiones fereque perpetuum tenesmum efficiunt.

§. VII.

Morbi quibus junguntur.

Vermibus sæpe junguntur febres putridæ, anomalæ, lentæ, quotidianis similes: sæpius autem infesta hæc animalcula aliis se morbis, ut vario-
lis & morbillis, immiscent, vel iidem superveniunt, & non tantum
sympto-

symptomata valde augent magnumque virium decrementum adferunt, sed indicia quoque diagnostica, & prognostica, imo ipsam curandi methodum valde reddunt difficilem.

§. VIII.

Certis anni temporibus, præsertim *Vermium generationi favent certa anni tempora* autumno, quando sub valde humida & inæquali aëris temperie, febres catarrhales, variolæ & morbilli epidemice grassantur, copiosior vermium solet esse proventus, non aliam ob rationem, quam quod tunc temporis humana corpora, ob labefactatum solidorum robur plus humiditatis inertis, viscidæ & ad corruptionem pronæ accumulant, unde seminum illud verminosum plus alimenti & sustentationis recipit. Et inde quoque ratio petenda, cur infantes, pueri & sequior sexus, si præsertim vita sedentaria & prava diætæ ratio accedunt, frequentius graviusque vermibus & inde oriundis morbis laborent, quam quidem juvenes, ætate provectiores & sexus nobilioris homines, qui majori solidorum robore, circuloque sanguinis vegetiore præditi non tam facile succos inertes & viscidos alunt.

§. IX.

§. IX.

-- certa ali-
menta

Ex omnibus vero causis certa alimenta lumbricorum generationi favent, ut fere sunt ea, quæ partim copiam succorum pituitosorum & inertium ingenerant, partim insectorum ovula & seminia secum recondita in corpus invehunt; quorum pertinent lacticinia, caseus, fructus horæi, panificia cum melle & saccharo condita, legumina, farinacea, & hujus census alia, quæ præ ceteris intus continent nociva insectorum ovula, sine quibus nulla fit in rerum natura animalculorum progenies. Compröbant hoc optime experimenta à *Francisco RHEDI* & *MALPIGHIO* solerter instituta, qui laudatissimi viri media quondam æstate res putredini subjectas, ut pisces & carnes, diversis lagenis, quarum altera fortiter clausa, altera aperta servabatur, immiserunt, & præterlapso non ita longo temporis spatio in eo vase, cujus orificium insectis & muscis patulum relictum erat, contentas res vermibus valde scatentes invenerunt: in ea vero lagena, quæ clausa erat, ne unicum quidem ver-

mem

men
Ma
pius
in q
long
sent
fi ita
co je
tes
lum
alia
da,

Pro
minus
pro d
mium
symp
Sæpiu
hi lic
bribus
billis
cidus
valde
præter
inaeq
quia
quod
ætate
brici

mem observarunt. Similiter quoque MALPIGHIVS commemorat, se sæpius carnis frustula humo sepelivisse, in quibus tamen nunquam, licet per longum tempus in terra condita fuissent, animalculaprehendisset. Quæ si ita sunt, ut nullus dubito, in apri-co jam posita videtur ratio, cur infantes solo lacte victitantes non prius lumbricis tententur, quam si demum alia edulia, verminoso seminio foetida, accipiunt.

§. X.

Pro diversitate corporum magis vel *Prognosis.* minus valentium & sensibilibum, item pro diversa materiæ corruptæ & vermium indole, ipsa quoque differunt symptomata supra §. VII. enumerata. Sæpius tamen iterumque annotare mihi licuit, quod, si exanthematicis febribus, ut purpuræ, variolis, morbillis &c. se vermes immiscent, placidus horum morborum decursus valde plerumque perturbetur, & præter extremorum frigus, pulsus inæquales ac debiles, animique deliquia, mors sæpe ipsa accersatur: quod tamen in pueris crebrius, in ætate proVectis rarius contingit. Lumbrici variegati coloris, rotundi nunquam

quam fere non deterioris sunt notæ ; liquidem ad ventriculum sæpe adscendunt, ejusque orificia lancinando, & interdum perforando, epilepticas convulsiones, suffocationis periculum, imo mortem repentinam inferunt. Tæniæ, siue longi longiores inducunt morbos, & quandoque nondum cogniti vita privant. Ascarides minus periculi alunt, quia in intestinis crassioribus, sensu non adeo acuto præditis, residentes rofionibus suis minus nocere valent. Circa meridiem & vesperam plerumque acerbiora observantur verminosorum symptomata; quoniam tum temporis animalcula nervosum intestinorum canalem à cibis vacuum morsicando fortius adgrediuntur. Vermes mortui si dejiciuntur, ob summam, quam arguunt, putredinem, periculum portendunt; nisi forte à datis medicamentis fuerint enecati & expulsi. Ex ore prorepentes lumbrici in morbis gravioribus mortuiros indicant ægrotantes; maxime si frequens & frigidus adsit anhelitus: neque tamen omnino mortem semper prænunciant, quia varia testantur exempla, omnis generis febres expulsionem vermium fuisse solutas. Quam

in

in r
III.
febr
exp
gitu

C
est,
symp
circu
ordin
Jam
diver
ment
cantu
vel fu
quare
li in
tura,
viter
bendi
specti

Pr
verm
dicata

in rem legi merentur M. N. C. Vol. III. in append. obs. IV. p. 163. ubi febris tertiana & continua pluribus expulsis oretenus vermibus sanata legitur.

C U R A T I O.

§. I.

Quamvis in ingenti vitæ discrimine infantes verminosi versentur, nunquam tamen desperandum est, quodcumque pro diversitate symptomatum, naturarum & rerum circumstantium debito tempore & ordine commoda adhibentur remedia. Jam vero in nullo fere morbo tam diversa & activæ indolis medicamenta à medicis laudantur & applicantur, quam in morbis, ubi vermes vel sunt expellendi, vel enecandi; quare operæ pretium fore confido, si in præsentī anthelminticorum natura, virtute & usu sollicitus, breviter demonstrarem, quæ in iis exhibendis à medico prudentia & circumspectio sit adhibenda.

*Instituti
ratio.*

§. II.

Primo autem omnium inter remedia vermibus & morbis inde oriundis dicata referri solent acida, qualia sunt succus

*Anthel-
minticis
accensenda
acida*

succus citri, aurantiorum, limonum, ribium, berberum, granatorum, phlegma & spiritus vitrioli, cremor tartari, vinum præsertim acidulum Rhenum ipsumque tandem acetum. Quæ singula profecto eo tempore, ubi æstus & calor præternaturalis jungitur, & febriles complicantur motus, commode locum inveniunt: siquidem non modo æstum egregie temperant, sed putredini quoque, quæ semper fere comitatur, mirifice resistunt, & periculofam symptomatum malignitatem avertunt.

§. III.

-- amara

Anthelminticis quoque remediis amara, ut absynthium, centaurium minus, scordium, trifolium fibrinum, ruta, & multo adhuc magis, quæ simul purgante facultate pollent, ut aloë, rhabarbarum, colocynthis, & parati ex ipsa trochisci alhandal &c. accensentur. Licet vero hæc remedia vermibus non penitus sint adversa, dum non modo in rhabarbaro, & absynthio, sed in ipsa quoque vesica fellea, teste HILDANO cent. I. obs. 160. vermiculi proveniunt; minime tamen negari potest, quin amara insignem contra hæc animalcula præstent effectum:

fectum
dam
vi sua
intest
humo
lurie
vero b
vermi
pueri
dant.

T
effica
Franc.
muscas
bus in
fert,
infusis
non r
bus fi
benter
esse co
ut ole
amygd
ctu ad
me ill
ferri,
modu
reretur
totum

fectum: quia partim materiam crudam & viscidam, qua nutriuntur, vi sua balsamica corrigunt, & fibras intestinorum stimulando, corruptos humores una cum verminosa colluvie nonnunquam evehunt, partim vero bilis inertiam, quæ sæpe causam vermium mediatam constituit, in pueris & subjectis humidioribus emendant.

§. IV.

Tum quoque oleosis magna tribuitur -- oleosa
efficacia, quæ maxime experimento *Franc. RHEDI* videtur confirmata, dum muscas & alia insecta variis liquoribus immerfa in vivis permanisse refert, exceptis aliis oleo perunctis & infusis, quæ invicem mortua vitam non receperunt, licet radiis solari-
bus fuerint exposita. Equidem libenter concedo, hæc omnia veritati esse consona, atque etiam oleosa, ut oleum olivarum, raparum & amygdalarum dulcium, non sine fructu adhiberi: sed scire licet, minime illa eo unquam scopo posse offerri, ut vermes enecent, quia admodum magna oleorum copia requireretur, si immediate vermes, per totum intestinorum volumen dispersos,

deberent extinguere. Multo magis oleosa in gravibus à lumbricis symptomatibus ideo censerem utilia, quia sensibiles intestinorum tunicas spasmus constrictas relaxant, & mucilagine quasi oblinunt atque defendunt, ut postea acriora quædam & purgantia remedia magis secure & sine læsione exhiberi possint. Ita ego sæpius mirabili cum effectu, ad vermes enecandos & symptomata lenienda, oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia, imo unciam unam vel duas circa lecti introitum, vel summo mane pueris præscripsi sumendum, subjungendo aliquot horas post pilulas ex extracto panchymagogo Crollii, resina jalappæ, & mercurio dulci paratas.

§. V.

--*salina*

Eximia etiam laude, ad exturbanda noxia hæc animalcula celebrantur salina, tum quod tenerrimæ horum animalculorum structuræ infesta sunt, tum etiam eorum exitum, intestina stimulando, promovent; idque eo magis, si in sufficiente aquæ quantitate fuerint soluta. Valet id potissimum de salibus istis neutrius generis amaris, & nominatim de sale Glauberi,

beri, Epsoniensi, Sedlicensi, Egranarum & Carolinarum aquarum quæ, cum vehiculo sufficienti sumta continuato usu egregium præstant effectum, maxime si pueri & juvenes ea vermium specie, qui tæniæ & lati appellantur, laborant; quoniam hi non tam promte purgantibus, quæ spasmo agunt, quam potius per salia & fontes salinos feliciter exterminantur. Quam ob rem non sine ratione fonti Sedlicensi, qui sale amaro scatet, egregia vermes enecandi energia adscribitur, eademque virtus anthelmintica nostris salinis Halensibus à plebe tribuitur, quæ subinde largum falsæ potum pueris contra vermes propinare solet. Neque male sibi consulunt populi maritimi, qui eadem intentione marinam potant, aut, si divites sunt, aquam ex ostreis recentibus, adjecto limonum succo & pipere, ebibunt, atque sic expulsis istis bestiolis à tabe aliisque pluribus morbis infantes liberantur felicissime. Et quis denique aliis salibus, præsertim vitriolicis, suam in his efficaciam antiquitus comprobata denegabit, cum per experientiam satis superque cognitum sit, aquas Pyrmontanas,

quæ de subtili martis vitriolo participant, adversus tænias vermesque turbinatos seu cucurbitinos tanto cum successu usurpari, ut ægri pluries instar incantamenti ab omnibus symptomatibus liberi evadant.

§. VI.

-- varia
specifica

Si ullum morbi genus specifica admittit remedia, ea certe me iudice in vermibus enecandis & ex corpore eliminandis locum inveniunt. Quo nomine inprimis commendanda sunt ex gummosis asa foetida, opoponax, sagapenum, myrrha; ex herbis tanacetum, scordium, absynthium, ex radicibus bulbosis ceparum & alli genera, ex fructibus amygdalæ amaræ & ex his elicited oleum expressum, ex seminibus semen fantonici, caiputiæ & similia; quæ omnia sulphureo illo graveolenti & specifico, quem exhalant odore, vermibus inimicissimo eos vita privant. Et profecto hæc appropriata tam necessaria sunt, ut nisi convenienti dosi, aliis, jam supra memoratis, fuerint admixta, rarissime optatus respondeat effectus.

§. VII.

-- inprimis
mercurialia

Restat vero adhuc aliud non minoris energiæ specificum ex minerali regno

regno
gentu
dan
vertu
struic
princ
ratio
varii
inno
fider
prim
hoc
aqua
lata d
tilissim
maxim
propit
senior
Rhen
vigint
leni
præfer
Chym
curius
pro
quot
mon
extra
in pi
obtn

regno petatum. Est illud ipsum argentum vivum, quod peculiari quadam proprietate his animalculis adversum vitalem istorum motum destruit; quamvis non tam accurate ex principiis mechanicis hæc operandi ratio possit deduci. Hactenus autem varii hoc anthelminticum propinandi innotuerunt modi, quos paucis considerabimus. HELMONTIUS forsan primus fuit, qui experimentum cum hoc remedio instituit, dum illud aqua vel pura, vel quadam destillata decoxit, talemque aquam subtilissimis mercurii particulis imbutam maximo cum emolumento verminosis propinavit. *Henricus MEIBOMIUS* senior alium modum secutus, vinum Rhenanum argento vivo infusum per viginti quatuor horas sine decoctione leni digestionem exposuit, & postea præsentiozem adhuc effectum vidit. Chymicis magis hactenus placuit mercurius dulcis rite præparatus, quem, pro diversa subjecti natura, ad aliquot grana cum purgante, v. g. scammonio sulphurato, resina jalappæ, extracto panchymagogi Crollii &c. in pilulis non sine laudatissimo effectu obtulerunt, vel etiam eundem musco

I 3 coral-

corallino nuptum cum & sine purgante dederunt. Alii securiorem ingressi viam æthiopem mineralem ex accurata mercurii vivi & sulphuris mixtione, confectum cum saccharo, sicut HARRIS, utiliter propinarunt. Nos denique ipsum argentum vivum bene depuratum cum saccharo cando in mortario exacte miscuimus, &, præmissis præmittendis, sub accuratiori diæta longe efficacius deprehendimus; maxime si postea ægri, ut præservandi sine commendavimus, à carne, piscibus, lacticiiniis, dulcibus, caseo aliisque nocivis abstinerunt, & pro potu aquam puram, cum cornu cervi usti decoctam, substituerunt.

§. VIII.

- præpara-
ta.

Inter alia denique præparata multiplici experientia pilulis usi sumus sequentibus: recipe asæ foetidæ, extracti rhabarbari, tanaceti, aloës depuratæ, myrrhæ electæ, mercurii dulcis ana scrupulum unum, extracti croci, castorei ana grana quatuor, M. f. ex scrupulo uno pilulæ numero XV. quibus pro subjectorum & ætatis ratione ad no. V. VI. VIII. datis, plures vermibus misere vexatos ex voto sanavimus. Qui à pilulis abhorrent, iis
in

in syrupo offerantur, vel bis in die iusta dosi propinetur hujus medicamenti, quod ex liquoris terræ fol. tartari uncia una, extracti rhab. tanaceti & absynthii ana drachma dimidia compositum. Nec denique minorem vidi effectum à sequenti pulvere: Rec. mechocann. alb. sem. fantonici, corallinæ, rhabarbari, mercurii dulcis, scordii, cornu cervi usti, nitri purif. ana drachmam dimidiam, camphor. gr. VI. M. f. pulvis, qui pro ratione ætatis in varias doses dispescendus, vel in electuarium redactus offerendus.

CAUTELÆ.

§. I.

Sed ut omnia recte administrentur, quasdam subjungere placet cautelas, quarum præcipua est, ut nunquam purgantia acriora, vel calidiora propinentur remedia, si febrilis calor subest, nisi hunc augere velimus. Similiter quoque à mercurialibus, omnibusque fortioribus abstinendum est, quando duodenum acri & caustica bile scatet; siquidem inde symptomata non modo exacerbata, sed intestinorum quoque inflammationes accersitas novimus.

*Cautela
circa pur-
gantia &
mercuria-
lia*

§. II.

-- circa
vermes te-
nuibus in-
sidentes

Ad vermes ex tenuibus intestinis ex-
turbandos prodest ante purgantium
& specificorum usum clysterem ex lacte
& melle paratum ano infundere, ut
bestiolæ istæ dulcedine allectæ ex lo-
culis suis ad intestina facilius descen-
dant.

§. III.

-- circa as-
carides

Ascarides, si recto innidulantur,
clysteres detergentes lactei, quibus
tanacetum, allium, vel scordii folia
incocta sunt, optimum præstant effe-
ctum: quod similiter etiam de illis va-
let, qui ex muria, cum marrubio,
centauryo minori & scordio decocta
additoque electuario hieræ composito à
nonnullis parari solent.

§. IV.

-- circa
vermes post
purgatio-
nem reli-
ctos

Neque minus tum temporis enemata
commodum inveniunt locum, si, quan-
do verminosa progenies post purgatio-
nem per alvum non ejicitur, quod sæ-
pius usu venit, si in cœco intestino ni-
dum obtinet, quod purgans non valet
attingere.

§. V.

-- circa an-
thelmini-
corum ob-
lationem.

Optime quoque dantur anthelmin-
tica in electuario vel syrupo, qualis est
cichorei cum rhabarbaro: quod opti-
me

me norunt mulierculæ, quæ pueris verminosis semen fantonici ad scrupulum circiter unum cum melle subactum ante lunæ vel incrementis vel decrementis mutationes in lacte propinant; nec sine effectû, modo caveatur, ne semen illud sit cariosum.

§. VI.

Nonnunquam cum internis externa utiliter possunt conjungi; quo fine laudem merentur emplastra vel epithemata epigastrii & umbilici regioni applicanda, quæ ex absinthio, felle tauri, aloë, colocynthide, succo centaurei minoris & oleo florum spicæ conflare possunt; quorsum etiam spectat unguentum de artanita cum aliis.

Externorum usus.

§. VII.

Si quid vero utile & inprimis necessarium datur monitum, est profecto hoc, quod coronidis loco adjicere lubet, ut scilicet medicus ante omnia vermium præsentiam certis signis habeat cognitam, si remedia iis vel enecandis vel extirpandis apposita adhibere studet, ne forsan, si ægri ex alia causa, alioque morbo ægrotant, plus noxæ quam utilitatis adferat.